

1. September (1556?)

s. l.

XXII.

Joachim Camerarius an K. v. Niedbruck.¹

S. D. Quemadmodum cum nuper adesses inter nos conuenit, ita curatum est, ut meus filius aliquid literarum ad te exararet. poterit igitur humanitas tua cognoscere in utraque lingua scripturam manus ipsius. Caetera Deo et benignitatis tuae studio committo. Vale. cal. Septembr.

Tuae dignitati addictissimus

Joach. Camerarius.

Wien?

XXIII.

1. März 1553.

Kaspar von Niedbruck an Flacius Illyricus.²

P. S. Quas nona Novembris anno superiori ad me dederas, vir in domino charissime, heri primum accepi, inclusam quoque schedulam, quae instituti tui rationem continebat. Deo maximas gratias ago et nobis congratulor, quod pios Doctores adeo benigne nobis largiatur et conseruet hisce ultimis et periculosissimis sane temporibus. Non dubito, quin hoc opus et quod instituistis, Ecclesiae ac piis sit magno usui futurum et praecipue eam ob causam, quam ipse refers ad refellendos errores, quos isti vetustate temporis palliare conantur. Agnosco, me hoc debere et Deo et Ecclesiae, ut ad rerum verarum propagationem pro talento conferam meos labores et Deum precor in dies, ut faciat me vas misericordiae et salutare mihi et aliis piis. Poterit, quod coepit, perficere pro sua voluntate. Ego nullam occasionem praetermittam faciendi officium, Deus det succursum. Hactenus a biennio maximopere delectatus sum visitatione et perlustratione bibliothecarum. Inveni quaedam, quae tuo instituto forte deseruirent ea collegi et mecum habeo, non denego vobis, scribite saltem, cui et qua ratione tute trans-

¹ Cod. Pal. Vienn. 9737 k.

² Cod. Pal. Vind. 9737 i. Allerdings fehlt dem Briefe die Aufschrift, jedoch der Inhalt, sowie der beiliegende Zettel an Gallus beweisen, dass der Brief an M. Flacius Illyricus gerichtet ist.